

diis modo gratiae superioris supernaturalibus prolixè exponendis nonnullos eorum substituisse; quibus scilicet instructus bona perficere opera, Deoque gratum et acceptum homo se reddere omnino posset. Idea Theologiae moralis, quae Theologiam christianam practicam Philosophiae morum supplementum, idque reuelatum, ut exhibeat suadet prudenter, hac, inquam, idea, quam vero nimium quantum pro arbitrio restrinxerunt, praeter opinionem eo perductos ex parte illos deprehendi. Quam ob causam, ab illius systemate, tum officiorum, tum motiuorum doctrinam quidam eorum excluderunt: quasi vero neque christianorum officiorum, neque motiuorum, peculiari opus esset expositione. Mutilam, imo mancam, hanc esse Theologiae moralis elaborationem, mecum diffitebitur forte nemo, cui constat, hominem christianum manere quidem hominem, sed tamen a nudo differre homine specifica, quam christiani exhibet notio, differentia; adeoque
iisdem